

J. Wang, agrégation de Lettres classiques / Grammaire, 2024-2025
Devoir sur table du mercredi 4 décembre 2024 (14h-18h, salle Lettres 3)
À rendre au plus tard pour le jeudi 5 décembre 2024 (grammairiens)

Version latine n°6 : un dieu en mal d'épouse

Le malheureux Pluton se languit dans la solitude, et décide de se chercher une partenaire.

Tum Maia genitum, qui feruida dicta reportet,
imperat acciri. Cyllenius adstitit ales,
somniferam quatiens uirgam tectusque galero.

Ipse rudi fultus solio nigraque uerendus
maiestate sedet ; squalent inmania foedo
sceptra situ ; sublime caput maestissima nubes
asperat et durae riget inclemencia formae.

Terrorem dolor augebat. Tunc talia celso
ore tonat (tremefacta silent dicente tyranno
atria : latratum triplicem compescuit ingens
ianitor et presso lacrimarum fonte resedit
Cocytos tacitisque Acheron obmutuit undis
et Phlegethoneae requierunt murmura ripae) :
« Atlantis Tegeaee nepos, commune profundis
et superis numen, qui fas per limen utrumque
solus habes geminoque facis commercia mundo,
i celer et proscinde Notos et iussa superbo
redde Ioui : tantumne tibi, saeuissime frater,
in me iuris erit ? Sic nobis noxia uires
cum caelo Fortuna tulit ? Num robur et arma
perdidimus, si rapta dies ? An forte iacentes
ignauosque putas, quod non Cyclopia tela
stringimus aut uanas tonitru deludimus auras ?
Nonne satis uisum, grati quod luminis expers
tertia supremae patior dispendia sortis
informesque plagas, cum te laetissimus ornet
Signifer et uario cingant splendore Triones ?
Sed thalamos etiam prohibes ? Nereia glauco

Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te consanguineo recipit post fulmina fessum
Iuno sinu. Quid enim narrem Latonia furta,
quid Cererem magnamque Themin ? Tibi tanta creandi
copia ; te felix natorum turba coronat.
Ast ego, deserta maerens inglorius aula,
in placidas nullo solabor pignore curas ?
Non adeo toleranda quies. Primordia testor
noctis et horrendae stagna intemerata paludis :
si dictis parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni ueteres laxabo catenas,
obducam tenebris solem, conpage soluta
lucidus umbroso miscebitur axis Auerno. »
Vix ea fatus erat, iam nuntius astra tenebat.
Audierat mandata Pater secumque uolutat
diuersos ducens animos, quae tale sequatur
coniugium Stygiosque uelit pro sole recessus.

Claudien